

» siempre en su misericordia ; huid quando se indigna contra
» vosotros , pero huid ácia él para aplacarle , y sin duda le apla-
» careis , si esperais siempre en su misericordia. (*Ibid.*)

171. » ¿Cuál será en el cielo nuestro empleo , sino amar
» y alabar á Dios ? Alabarle amándole , y amarle alabándole ?
(*Ibidem.*)

172. » Cantamos en voz alta para excitarnos á nosotros
» mismos , y cantamos de corazon para agradecer á nuestro Dios.
(*Ibid.*)

173. » Si nos reduxéramos á lo necesario , tendríamos mu-
» cho superfluo ; pero si andamos buscando cosas inútiles , jamas
» tendremos lo suficiente. (*Ibid.*)

174. » Lo superfluo de los ricos , es lo necesario de los
» pobres : guardar lo superfluo , es detener los bienes agenos.
(*Ibid.*)

175. » Alabad á Dios con todo quanto sois , cante sus ala-
» banzas la voz , cante la vida , y canten las acciones. (*Salm.*
» 148.)

176. » El que aqui no suspira , como el caminante que
» está distante de su patria , jamas tendrá el contento de habi-
» tar en ella como ciudadano. (*Ibid.*)

177. » Para el justo siempre es buena la muerte , de qual-
» quiera modo que le sobrevenga. (*Ibid.*)

178. » Quando os hallais en donde trabaja un artesano ,
» no os atreveis á reprehenderle sobre su trabajo , porque lo
» entiende mejor que vosotros , ¿y sois tan insolentes que os
» atreveis á replicar en este mundo contra lo que Dios hace en
» él ? (*Ibid.*)

179. » Sino se empieza por el temor á servir á Dios , nun-
» ca se llegará á amarle. (*Sal.* 149.)

180. » La penitencia causa tormento , la justicia produ-
» ce la tranquilidad , y la vida eterna glorifica. (*Salm.* 150.)

LAS SENTENCIAS DEL MISMO PADRE

CONTENIDAS EN ESTE TOMO VII.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN AGUSTIN.

Correspondientes al Capítulo I. Artículo IV.

- I. Foris non est quærenda lætitia , sed intus. (*Ps.* 3.)
- II. Peccatoribus , panis veritatis amarus est. (*Ps.* 5.)
- III. Quod nescire nos Dominus voluerit , libenter nescia-
mus. (*Ps.* 6.)
- IV. Vitium inanis gloriæ , vel solum , vel maximè caven-
dum est perfectis. (*Ps.* 7.)
- V. Deus multum irascitur , dum non exquirit. (*Ps.* 9.)
- VI. Erubescat homo esse superbus , propter quem factus
est humilis Deus. (*Ps.* 18.)
- VII. Verè felix est , non si id habet quod amat , sed si id
amet , quod amandum est.
- VIII. Vis impetrare ? aliud noli petere nisi unum. Uni
suffice , quia unum tibi sufficit. (*Ps.* 26.)
- IX. Quidquid mihi præter illum est , dulce non est : quid-
quid mihi vult dare Dominus Deus , auferat totum , & se mihi
det. (*Ibid.*)

X. Aliud desidera, si majus, si melius, si suavius inveneris. (*Ps.* 26.)

XI. Quis hic habet abundantiam? nemo. Abundantia hominis quæ est? ærumna, calamitas. (*Ps.* 29.)

XII. Plus egent homines, quanto plus habent. (*Ibid.*)

XIII. Angusta via, laboranti angusta est, amanti lata. (*Ps.* 30.)

XIV. Qui sunt inimici Ecclesiæ; Pagani, Judæi? omnibus pejus vivunt mali Christiani. (*Ibid.*)

XV. Si orat Psalmus, orate; si gemit, gemite; si gratulatur, gaudete; si sperat, sperate; & si timet, timete: omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. (*Ibid.*)

XVI. Quid tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit. (*Ibid.*)

XVII. Vilescat totum, quidquid præter Deum est. (*Ib.*)

XVIII. Si ergo clamas, clama intus ubi audit Deus.

XIX. Disce non diligere, ut discas diligere: avertere, ut convertaris, funde, ut implearis.

XX. Bonum opus intentio facit; intentionem fides dirigit. (*Ibid.*)

XXI. Dilectio vacare non potest. Da mihi amorem vacantem & nihil operantem?

XXII. Amate, sed quid ametis videte.

XXIII. Ille fortis est, qui non in se, sed in Deo fortis est.

XXIV. Gaudeo in spe; gemo adhuc in re.

XXV. Si speras, gaudes; si per patientiam expectas adhuc gemis.

XXVI. Ille placet Deo, cui placet Deus.

XXVII. Non es disjunctus à Deo, si hoc vis, quod Deus.

XXVIII. Quis sic delectat, quam ille qui fecit omnia quæ delectant?

XXIX. Modò fructuosè dicamus, transeunt omnia; ne tunc dicamus infructuosè, omnia transierunt.

XXX. Spes tua Deus sit, firmitas tua Deus sit, exoratio

tua ipse sit, laus tua ipse sit, finis in quo requiescas ipse sit, adiutorium cum quo laboras ipse sit.

XXXI. Quando Deus ista dat, benedic; & quando ista tollit, benedic.

XXXII. Tota ista vita, & omnia quibus uteris, sic tibi debent esse tanquam stabulum viatori, non domus habitatori.

XXXIII. Ille qui fecit omnia, dixit: *Pete quod vis*. Ipsum pete qui fecit; & in illo, & ab illo habebis omnia quæ fecit.

XXXIV. Suggesto remedium, unde *tota dies laudes Deum*, si vis, quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum.

XXXV. Ipse est poena sua, quem torquet conscientia sua.

XXXVI. De nullo vivente desperandum est.

XXXVII. Cum sequeris viam Christi, non tibi prosperitates promittas: per dura ambulavit, sed magna promisit.

XXXVIII. Terræ committis, & tanto amplius colligis: Christo committis, & perdis?

XXXIX. In hac via purga me, & talem me redde, cui jam emendatorio igne non opus sit.

XL. Si non vis intermittere, noli intermittere desiderare.

XLI. Continuum desiderium, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris.

XLII. Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras.

XLIII. Quibus parata est vita sempiterna, necesse est ut hic flagellentur.

XLIV. Coepi plus dolere, tacuisse me quæ dicere deberem, quam dolueram dixisse, quæ dicere non deberem.

XLV. Desiderio rapiamur in superna, ubi dicemus: bene est, ultra nihil volo, omnes hic amo, neminem hic timeo. Bonum desiderium, sanctum desiderium.

XLVI. Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur; torrens rerum fluit.

XLVII. Filios habes, unum plus numeras; da aliquid & Christo.

XLVIII. Aliter hic non potes esse perfectus, nisi scias hic te non posse esse perfectum.

XLIX. Quisquis se jam pervenisse putat, in alto se ponit, ut cadat.

L. Qui jam *de profundo clamant*, non penitus in profundo sunt; clamor ipse jam levat.

LI. Via lata mortifera est; latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in æternum.

LII. Quidquid amaveris, Deus tibi erit: discite amare in creatura Creatorem, & in factura Factorem.

LIII. Pauciores sunt verè conversi, plures falso conversi.

LIV. Magna peccata præcavisti; an non times minuta? projecisti molem, vide ne arena obruaris.

LV. Dando, consolatur ut permaneat; auferendo corripit ne pereat. Dominus habet curam tui, securus esto.

LVI. O egene & pauper, mendica ante januam Dei; pulsa, & aperietur tibi.

LVII. Quoniam ad me conturbata est anima mea, quid restat, nisi humilitas, ut de se ipsa anima non præsumat; nisi ut se humiliet, ut exaltari mereatur; nihil sibi tribuat, ut ei ab illo quòd utile est tribuatur.

LVIII. Non timeo iudicium tuum, quia novi misericordiam tuam.

LIX. Seipsum dabit, quia seipsum dedit.

LX. Difficile purgata vita invenitur, cum ille iudicat.

LXI. Puniendum est peccatum; præveni Deum; non vis ut ipse puniat, tu puni; tu agnosce, ut ille ignoscat.

LXII. Ego creavi, ego recreo; ego formavi, ego reformo; ego feci, ego reficio: si non potuisti facere te, quomodo potes reficere te?

LXIII. Habeat quis multas facultates, si in eis non extollitur, spiritu pauper est.

LXIV. Quid servas Christo? quid animæ? omnia filiis?

LXV. Timeamus; mutemur, & non timebimus. Ignem palea timet, auro quid facit?

LXVI. Quæris ut aliquid tibi det Deus, quod tuum sit! ecce ipse Deus qui dabit, tuus est. Quid eo ditius? dona quærebis, ipsum donatorem habes.

LXVII. Omnia ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt.

LXVIII. Audi David clamantem, & simul clama; audi gementem, & congemisce; audi flentem, & lacrymas junge; audi correctum, & condelectare.

LXIX. Multi sunt quos peccare non pudet, agere poenitentiam pudet. O incredibilis insania! de vulnere ipso non erubescis, de ligatura erubescis.

LXX. Ibi poenitentia infructuosa, quia sera: vis ut fiat fructuosa; non sit sera.

LXXI. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est castè amari: non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se.

LXXII. Caput & membra, unus Christus: nos cum illo in cælo per spem, ille nobiscum in terra per charitatem.

LXXIII. Si bonus es, inimicum non habebis, nisi malum.

LXXIV. Plerumque surgit in animo servi Dei desiderium solitudinis, ob turbam tribulationum & scandalorum.

LXXV. Intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem quid pro te pertulerit Christus.

LXXVI. Deus humilis factus; erubescat homo esse superbus.

LXXVII. Vesperè Dominus in Cruce, manè in Resurrectione, meridiè in Ascensione. Enarrabo vesperè patientiam morientis: annunciabo manè vitam resurgentis; orabo ut exaudiat, meridiè sedens ad dexteram Patris.

LXXVIII. Omnium quidem Deus est; sed eorum Deus proprie dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui il-

lum possident ; qui illum colunt.

LXXIX. Deum sic diligamus , ut aliquod præter ipsum non diligamus.

LXXX. O Hæretica insania , quod non vides , credis mecum ; quod vides negas. Credis mecum exaltatum Christum super cælos , quod non videmus ; & negas gloriam ejus super omnem terram , quod videmus.

LXXXI. Quidquid vis , & non potes ; factum Deus computat.

LXXXII. Poenitentia hujus temporis dolor medicinalis est ; poenitentia illius temporis , dolor poenalis.

LXXXIII. Iniquitas omnis , parva magnave sit , puniatur necesse est , aut ab ipso homine poenitente , aut à Deo vindicante.

LXXXIV. Omnia vitia in malefactis timenda sunt , superbia in benefactis plus metuenda.

LXXXV. Nemo insanabilior eo qui sibi sanus videtur.

LXXXVI. Omnipotenti Medico nihil est insanabile.

LXXXVII. *Deus meus , misericordia mea* , quid est ? totum quidquid sum , de misericordia tua est.

LXXXVIII. Prior labor , ut displiceas tibi , ut peccata expurges , & muteris in melius : secundus labor , pro eo quod mutatus es , ferre tribulationes & tentationes hujus sæculi , & inter illas perseverare usque in finem.

LXXXIX. Alia sarcina pondus habet ; Christi , penas habet.

XC. Profectus noster per tentationem nostram fit ; neque sibi quisque innotescit , nisi tentatus ; nec coronari , nisi vicerit ; nec vincere , nisi certaverit ; nec certare , nisi inimicum & tentationes habuerit.

XCII. Omnis res quæ finem habet , brevis est.

XCIII. Passionum omnium non erit finis , nisi cum seculum finitum fuerit.

XCIII. Poenitens es , non quæras nisi solam misericordiam.

XCIV. Nisi quis primo sitiatur in deserto , id est malo in quo est , nunquam perveniet ad bonum quod est Deus.

XCV. Anima nostra inter tentationes & pericula seculi hujus adhuc infirma , habet solatia verbi , solatia orationis , solatia disputationis.

XCVI. Tunc semper in Deo magni esse poterimus , si semper sub illo parvuli sumus.

XCVII. Charitatem habe , quo glutine *agglutinata est anima tua post Deum* ; ut ille præcedat , tu sequaris ; qui enim voluerit Deum antecedere , consilio suo vult vivere , & non vult sequi præcepta Dei.

XCVIII. Diabolus tantum tentare sinitur , quantum expedit proficientibus.

XCIX. Quod tibi dat Deus , ad consolationem habeas , non ad corruptionem : & quod tibi subtrahit , ab tolerantiam valeat , non ad blasphemiam.

C. Tu Domine Sacerdos , tu victima , tu oblator , tu oblatio.

CI. Mare in figura dicitur seculum hoc , falsitate amarum , procellis turbulentum , ubi homines cupiditatibus perversis facti sunt velut pisces invicem se devorantes.

CII. Quando malè vivis , si parcit Deus , plus irascitur.

CIII. Si ego dico , nemo credat ; si Christus dicit , væ qui non credit.....

CIV. Cum Deus dat bona temporalia bonis , consolatur itinerantes ; & quod dat ea malis , admonet bonos ut alia desiderarent , quæ non habeant malis communia.

CV. Ambulans in fide , exultans in illo , faciens bona opera , exhaustiens quotidie minuta peccata , jejunando , orando , eleemosynas faciendo , dicendo puro corde : *Dimitte nobis debita nostra* ; ambula securus , & exulta in via ; noli timere judicem.

CVI. Impium te quæsit ut redimeret ; Redemptum deseret ut perdat ?

CVII. Præterita nos non delectent, præsentia non teneant, & ad futura meditanda extendamus nos.

CVIII. Propter humilitatis & patientiæ documentum, & sanguine suo delendum nostrorum chirographum peccatorum, etiam suum voluit esse exitum mortis, ne mortem istam timeamus; sed illam potius, unde nos liberavit per istam.

CIX. Quare Christus audivit opprobria, nisi ut tu cum audires, non deficeres. Ecce tu audis, & deficis: frustra ergo ille audivit, qui non propter se, sed propter te audivit.

CX. Vis exaudiri? pauper esto. Dolor de te clamet, non fastidium.

CXI. Ego tanquam pupillus, anima mea destituta & desolata, auxilium quæro, & semper infirmitatem confiteor.

CXII. Hæc est tota scientia magna, hominem scire, quia ipse per se nihil est, & quoniam quidquid est, à Deo est, & propter Deum est.

CXIII. Ubi hoc jubet pater, quod contra Dominum non fit, sic audiendus est, quomodo Deus: quia obedire patri jussit Deus.

CXIV. Ego sum ipsa via: ego duco, in me duco, ad me perduco.

CXV. Rectus es, quando in eo bono quod facis, Deus tibi placet; in eo autem malo quod pateris, Deus tibi non displicet.

CXVI. Nihil boni faceres, nisi ille bonus esset, & nihil mali patereris, nisi ille justus esset.

CXVII. Præmium Dei, ipse Deus est: hoc amat, hoc diligit; si aliud dilexeris, non erit castus amor.

CXVIII. Vita hæc qualibet redundans felicitate, multos fallit, Deus neminem.

CXIX. Omni homini converso ad Deum non subtrahuntur, sed mutantur deliciae.

CXX. Tritura cordis, pietas, humilitas.

CXXI. Sic accipe consilium per hominem, ut illum con-

sideres qui illuminat hominem.

CXXII. Quod infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentia tumoris expellitur.

CXXIII. Hoc colitur, quod diligitur.

CXXIV. Mors horrore est; & moerore vita mortalis.

CXXV. Non nos satiabit nisi laus Dei, amor Dei.

CXXVI. Habetis in cælo Patrem, patriam, patrimonium.

CXXVII. Si pulchra sunt quæ amatis, quid est ipse, qui fecit? Si hæc magna sunt, quantus ipse?

CXXVIII. Gaudium nostrum, pax nostra, requies nostra, finis omnium molestiarum, non est nisi Deus.

CXXIX. Amas Deum, prope es; odisti Deum, longe es.

CXXX. Caput nostrum ad dextram Patris interpellat pro nobis; alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.

CXXXI. Solus tu est jucunditas; amaritudine plenus est mundus.

CXXXII. Stans in terra, in cælo es, si diligas Deum.

CXXXIII. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris.

CXXXIV. Cui perigrinatio dulcis est, non amat patriam.

CXXXV. Deus ineffabilis est: facilius dicimus quod non sit, quam quid sit.

CXXXVI. Qui desiderat Deum, & si lingua taceat, corde cantat: qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est Deo.

CXXXVII. Sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem, ne putrescat in terra.

CXXXVIII. Cum hilaritate fac bonum, tunc & bene facis: si autem cum tristitia, magis fit de te, non facis.

CXXXIX. Elige tibi; temporalem vis laborem, an sem-

piternam poenam? temporalem felicitatem, an sempiternam requiem?

CXL. Æterno labore digna est æterna quies comparari.

CXLI. Sic mittit nos Deus in fornacem tribulationum, ut coquatur vas, non ut frangatur.

CXLII. Diligis, & taces; dilectio ipsa vox est ad Deum, & ipsa dilectio canticum novum.

CXLIII. Deum tibi nemo tollet; tu tibi illum tollis, si illum fugis.

CXLIV. Quare amas habere quod Christus, si times pati quod Christus?

CXLV. Si autem timuerimus modo, tunc quod timeamus, non habebimus.

CXLVI. Omnis professio in Ecclesia habet fictos.

CXLVII. Nullum supplicem spernas; si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta.

CXLVIII. Nisi ardeat minister prædicans, non acendit eum cui prædicat.

CXLIX. Angustam tibi semitam stravit Deus, quidquid extra illam est, lubricum est.

CL. Qui noluerint habere spiritum suum, habebunt spiritum Dei.

CLI. Intercessio Sanctorum multum pro aliis valet apud Deum.

CLII. Deus se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.

CLIII. Nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia.

CLIV. Ei animo qui terra non est, terra est & aurum & argentum.

CLV. Quisque seipsum voveat Deo, se ipsum reddat: hoc exigitur, hoc debetur. Imago sua reddatur Cæsari, imago sua reddatur Deo.

CLVI. Deum colamus propter Deum, ut sui cultus ipse

sit merces. Ipsum diligamus in seipso, ipsum diligamus & in nobis, ipsam in proximis nostris, quos diligimus sicut nosmet-ipsos.

CLVII. Quando nos delectat bonum, magnum Dei donum est.

CLVIII. Fides Christianorum, resurrectio Christi est.

CLIX. Quis est qui placet Deo? cui placuerit Deus. Placeat tibi, ut placeas illi, sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris.

CLX. Ille habet aurum, qui novit uti auro: qui autem auro uti non novit, habetur, non habet. Estote domini auri, & non servi.

CLXI. Deus factus est homo, ut hominem sequendo, quod potes, ad Deum pervenias, quod non poteris.

CLXII. Opus tuum in me vide, non meum; nam meum si videris, damnas; tuum si videris, coronas.

CLXIII. Non timeant imperfecti; sed non ament imperfectionem.

CXIV. Servus Dei magis optet audire, quam dicere. Gaudium tibi sit in auditione Dei, non sit in locutione tua.

CLXV. Dicta sunt ab eis quædam diserta, sed à me vera.

CLXVI. Omnis homo qui spiritum suum sequitur, superbus est; subdat spiritum suum, ut capiat spiritum Dei.

CLXVII. Deus non deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur.

CLXVIII. Lingua tua ad horam laudat Deum, vita tua semper laudet.

CLXIX. Christus tacitus exigit, & major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet.

CLXX. Sic timeas Deum, ut speres in misericordia ejus.

CLXXI. Negotium nostrum quod erit in cælo? amare & laudare; laudare in amore, amare in laudibus.

CLXXII. Voce cantamus ut nos excitemus; corde can-

temus, ut Deo placeamus.

CLXXIII. Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus, nihil sufficit.

CLXXIV. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum: res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.

CLXXV. Deum toti laudate; cantet vox, cantet vita, cantent facta.

CLXXVI. Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis.

CLXXVII. Undecumque, mors pio bona est.

CLXXVIII. In officina non audes vituperare fabrum & audes reprehendere in hoc mundo Deum.

CLXXIX. Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.

CLXXX. Poenitentia cruciat, justitia tranquillat, vita æterna glorificat.

ADICIONES.

I. Quid miserius misero non miserante se ipsum. (*Conf. c. 13. lib. 1.*)

II. Jussisti, & sic est, ut poena sua sibi sit omnis inordinatus animus. (*Ibid. c. 12.*)

III. Quid sum ego mihi sine te, nisi dux in præceptis? (*Lib. 4. c. 1.*)

IV. Te nemo amittit nisi qui dimittit, & qui dimittit, quòd it, aut quòd fugit, ni-

I. ¿Quién es mas infeliz que el miserable que no tiene lástima de sí.

II. Vos habeis mandado, y sucede asi, que el mismo corazon desordenado sea su propio castigo.

III. ¿De qué me sirvo yo sin tí, sino de guia para el precipio?

IV. Ninguno, Señor, os pierde sino el que os dexa; y á dónde va el que os dexa? ¿á

dónde huye, sino de vos agradable á vos ayrado?

V. ¿Por cuántos peligros se llega al mayor peligro?

VI. ¿Quién necesita tanto la misericordia como el que es miserable? ¿y quién es tan indigno de la misericordia como el miserable que es sobervio?

VII. El que apetece lo que no puede conseguir, tiene tormento: el que llegó á conseguir lo que no debía desear, padece engaño: el que no apetece lo que debiera adquirir, está enfermo.

VIII. No es otra cosa vivir bien, sino el amar á Dios con todo el corazon, con toda el alma, y con todo el entendimiento.

IX. Solo el que ama á Dios ha aprendido á amarse á sí.

X. Demos que Dios puede algunas cosas que nosotros no podemos investigar: en estas toda la razon de lo que ha hecho, es el poder del que lo hace.

XI. Casi no hay página en los santos libros en que no resuene esta sentencia: Dios

si á te placido, ad te iratum? (*Ibid. c. 9.*)

V. Perquot pericula pervenitur ad majus periculum? (*Lib. 7. c. 6.*)

VI. Quid tan opus habens misericordia quam miser? & quid tam indignum misericordia quam superbus miser? (*Lib. 3. de lib. arb. c. 4.*)

VII. Qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; & qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. (*De morib. Ecc. c. 3.*)

VIII. Nihil est aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. (*Ib. c. 25.*)

IX. Solus se novit diligere qui Deum diligit. (*Ibidem, c. 26.*)

X. Demus Deum aliquid posse, quod nos investigare non possumus: in talibus tota ratio facti est potentia facientis. (*Ep. ad Volus.*)

XI. Nulla fere pagina est sanctorum librorum in qua non sonet, quod Deus super-

bis resistit; humilibus autem dat gratiam. *De Doct. Christ. c. 23.*)

XII. Cur Deus creavit eos quos malos futuros esse præsciebat? quia sicut prævidit, quid mali essent facturi: sic etiam prævidit, quid boni esset ipse facturus de malis eorum factis. (*De Genad. lit. lib. 11. c. 9.*)

XIII. Deus operatur, cooperamur nos: non enim auferit sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium. (*Lib. 5. Deut. q. 15.*)

XIV. Magna miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. (*De Cath. rud. c. 4.*)

XV. Homines bonos imitare, malos tolera, omnes ama; quoniam nescis quid cras futurus sit, qui hodie malus est. (*Ib. c. 27.*)

XVI. Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. (*Quæst. ex Epist. ad Rom. 42.*)

XVII. Nomen Philosophi si latinè interpretamur amorem sapientiæ profitetur:

resiste á los soberbios; pero da la gracia á los humildes.

XII. ¿Por qué crió Dios á los que sabia que habian de ser malos? porque asi como previó lo malo que habian de hacer, asi tambien previó el bien que él habia de sacar de sus malas acciones.

XIII. Dios obra, y nosotros cooperamos con él; porque no quita el libre albedrio de la buena voluntad, sino que le ayuda.

XIV. Grande miseria es el hombre sobervio; pero mayor misericordia es Dios humilde.

XV. Imita á los buenos, sufre á los malos, ama á todos; pues no sabes lo que será mañana el que hoy es malo.

XVI. Cada uno vende su alma al demonio quando pecca, y el precio que recibe es la dulzura del deleite transitorio.

XVII. Este nombre *Philosopho* significa el que ama la sabiduria: si Dios; pues, es

la sabiduria, por la que todas las cosas fuéron hechas, como nos lo enseñó la divina autoridad y verdad, el verdadero Filósofo es el que ama á Dios.

XVIII. ¿Cómo te puedo comprender, ó Dios, siendo tan grande, sino puedo comprenderme á mí, que soy tan pequeño?

XIX. Lo que tiene con seguridad en la Iglesia á la multitud de la plebe, no es la viveza en entender, sino la sencillez en creer.

XX. No creyera yo al Evangelio, si no me moviera la autoridad de la Iglesia Católica.

XXI. La sobervia es la madre de todos los Hereges.

XXII. El testamento viejo es, para los que le entienden bien, profecia del nuevo.

XXIII. Los libros de este nada pierden de su autoridad, porque no los entiendan los Judios, antes bien se aumenta: pues en ellos está profetizada la ceguera de estos.

porrò si sapientia Deus est per quam facta sunt omnia, sicut divina authoritas veritasque monstravit verus Philosophus est amator Dei. (*De Civ. Dei 18. c. 1.*)

XVIII. Quando te possum comprehendere tam magnumque, meipsum non valeo, extremum & parvum. (*Serm. cont. Jud. c. 6.*)

XIX. Plebis turbam in Ecclesia, non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas securam facit. (*Ep. fund. c. 4.*)

XX. Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. (*Ibi c. 5.*)

XXI. Superbia est mater omnium Hæreticorum. (*Ibid. c. 6.*)

XXII. Vetus Testamentum est rectè intelligentibus novi prophetia Testamenti. (*cont. Faust. lib. 19. c. 2.*)

XXIII. Non inde authoritas illis libris minuitur quod à Judæis non intelliguntur, imò & augetur: nam & ipsa eorum cæcitas ibi prædicta est. (*Lib. 16. c. 21.*)

XXIV. Oportet intelligere Deum, sine misericordia; miserentem; sine ira irascentem; sine oblivione obliviscentem; sine ignorantia nescientem; sine poenitentia poenitentem. (*Ibid.*)

XXV. Ex uno Deus voluit omnes homines condere ut in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. (*De bono conf. cap. 1.*)

XXVI. Penuriam pati quorumcumque hominum est; sed scire penuriam pati, magnorum est; sic & abundare quis non potest? Scire autem abundare, & recte vivere, non nisi eorum est quos abundantia non corrumpit. (*Ibid. c. 21.*)

XXVII. Jure divino con nubio & nuptiis pia virginitas antepositur. (*De Sanct. Virg. cap. 1.*)

(1) En esta sentencia quiere decir S. Agustin que Dios no tiene las pasiones del hombre mezcladas con sus infinitas perfecciones. Quando tiene misericordia, no siente la flaqueza de la lástima; quando oímos que se enoja, no debemos creer que es capaz de la pasion de la ira, si-

XXIV. Es preciso entender un Dios que tiene misericordia sin lástima; que se enoja sin ira; que se olvida sin olvido; que no conoce, sin ignorancia; y que se arrepiente sin arrepentimiento. (1).

XXV. Quiso Dios que todos los hombres viniesen de un mismo hombre para que se conservasen en sociedad, no solamente por la semejanza en la especie, sino tambien con el vínculo del parentesco.

XXVI. Padecer pobreza es propio de todos los hombres, pero saberla sufrir es de hombres grandes: lo mismo sucede en la riqueza, ¿quién hay que no pueda lograrla? Pero saber ser ricos, y vivir en santidad, solamente es concedido á aquellos cuyo corazon no se pervierte con la abundancia.

XXVII. Por derecho divino tiene la devota virginidad la preferencia sobre el matrimonio.

no que por esencia aborrece el pecado. La misericordia es perfeccion, la lástima es efecto de la pasion, y es dolor; la justicia con que castiga es perfeccion, la ira es una conmocion que puede ser buena y mala, y en Dios todo es esencialmente bueno.

XXVIII. ¿Qué es seguir á Christo sino imitarle? Pues cada uno le sigue en aquello en que le imita.

XXIX. No dice el Señor: *Aprended de mí* á fabricar el mundo, ó á resucitar los muertos; sino *que soy manso y humilde de corazon*. . . ¿Tan grande cosa es, ó Señor, el ser humilde y pequeño, que si vos que sois tan grande no lo hubierais practicado, no se pudiera aprender?

XXVIII. Quid est sequi Christum nisi imitari? Hunc enim in eo quisque sequitur, in quo imitatur. (*Ibid. c. 27.*)

XXIX. Dominus non dicit: *Discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed quia mitis sum & humilis corde*. . . Itane magnum est esse parvum, ut, nisi à te qui tam magnus es non fieret, disci non posset? (*Ibid. cap. 35.*)

